



Kern 229
(1-18)

1. Spielmann Exper. circa naturam bilis. et agentor. 1767.
2. Röderer de Paroxysme. Goetl. 1762.
3. Vogel de hydrope peritonaci sacro. Goetl. 1761.
4. " " Nitro cubico. - 1760.
5. " " gemino roti vulnera non lethali. - 1762.
6. " " dysenter. curat. antiquis. - 1763.
7. " " usq; vomitorio. ad cūriendos vermes. - 1765.
8. Schroeder febrium putridarum differentijs. - 1768.
9. " " evnations inter arthrit. & calcul. - 1767.
10. " " Paris abfque praepr. inf: origine. - 1766.
11. " " frequensioribus febrium prodromis. - 1765.
12. " " haemoptysi generatio etz. - 1766.
13. " " amplitudine generis lebs. bil. - 1766.
14. " " varicis duobus adultis infiz. - 1766.
15. " " alienata bilis qualitate. - 1767.
16. " " apoplexiae et praecond. vistis origine analtes. - 1767.
17. " " arthritide vaga. - 1768.
18. Hegelmann - difficulti in obseruat. anatomi. epionisi. Erlang. 1791.

???

(14)

MEDICI ORDINIS
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
H. T. DECANVS
PHIL. GEORGIVS SCHROEDER
ARCHIATER REGIVS ET PROF. MED. ORD.
SOLEMNIA INAVGVRALIA
VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM
MAVRITII FRIDERICI HOVTH
STEINFVRTO GVESTPHALI
IOANNIS PHILIPPI RÜLING
GOETTINGENSIS
FRIDERICI LUDOVICI MAY
CLAVSTHALIENSIS
QVIBVS DIE XVII. SEPTEMBRIS
MEMORIAE INAVGVRATAE ACADEMIAE
SACRO
A. S. CIO IOCCLXVI
IN TEMPLO ACADEMICO INTER SOLEMNES
CEREMONIAS
AD HONORES MEDICOS ADITVS PATVIT
INDICIT

*Praemissae sunt variolarum duobus adultis infistarum
historiae nonnullis obseruationibus illustratae.*

GOETTINGAE
EX OFFICINA SCHVLZIANA, curante F. A. ROSENBUSCH.





Ad vltorēs nunc accedo insitarum a me variolarum historias, & aliquos fisto medicinae Studiosos, naturali hoc morbo nondum hactenus correptos, qui sua maxime interesse rati, ne amplius, dum sanitarem exercere artem susciperent, contagio varioloſo effent obnoxii, ideoque grauiori ex ratione infitionem maiorem in modum rogarunt. Difficilior paulo vtriusque huius morbi infatuū curatio fuit, eoque memoratu etiam dignior, quod omnino, quam summi Numinis benignitatem grato veneramur animo, laetus vtrōbique & faustissimus euentus fuit.

Historia II.

Praeclaris ingenii dotibus ornatus, certeque integrissimae vitae, & singularis industriae, eiusque optime hactenus collocatae laude dignissimus iuuenis G** aetatis annorum XXI, iam in feris paschalibus anni 1765. vt sibi variolas inficerem, vehementer rogauerat. Perfecta se praeditum esse valetudine ipse aiebat, talisque mihi etiam videbatur, sed me tunc temporis impedimentum dolebam, quo minus frequenter cum ipso coram isto de negotio conferre potuerim, curatione longe grauissimi ex variolis naturalibus morbi generosi cuiusdam iuuenis,

qui

A



qui paucos dies antea nostram ad academiam accesserat, contagium
 que in diuersorio, dum iter hoc ficeret, ex improviso hauserat. De
 naturali tum infectione sibi valde metuens meus amantissimus G**, ad-
 eoque properandam sibi praeparationem ratus, quae consilia per vnam
 alteramue hebdomadem sequenda illi per amicum nota fieri curaueram.
 donec mihi met ipsi frequentius illum inuisere liceret, siquidem is mor-
 bus hic nondum esset epidemicus, eadem ille sic accepit, vt in omni-
 bus mediocritatem excederet. Eo enim usque corpori sui vires pa-
 cas istas per hebdomades diaeta antiphlogistica, laxantibus & pedilu-
 viis infregerat, vt non solum hypochondriaca neruorum sensilitate &
 mobilitate, sibi ipsi omnino molestissima, fuerit affectus, sed etiam vt post
 maxime labefactata chylopoiesos officinam, febre vere hec tica cor-
 ruptus, multum gracilescere coepit. Quo de inopinato & maxime
 dolendo euentu certior factus, illum statim inuisi, perpetua tamen can-
 tione adhibita, ne ipse contagium illi afferren; omnique opera & stu-
 dio exploratis eius affectionibus, omnia sollicite adiumenta, quae
 mea erant in potestate, illi praebere haud intermis, quo meliorem
 pristinamque ad valetudinem rediret. Multum certe mihi conflictan-
 dum erat cum intricatissima, praeter morem imbecilli, ex hypochon-
 driis valetudine; quippe quae cum febre primum lenta quotidie ad
 vesperam exacerbata, dein tertiana intermitte, postmodum rarissi-
 mo certe modo duplicata, erat coniuncta. Haec ipsa nempe postre-
 ma diebus alternis paroxysmum sistebat solita ratione incidentem, sta-
 tisque horis redeuntem, sed intercalaribus quoque diebus, certis praec-
 cise horis verum etiam haemoptoicu[m] exhibebat paroxysmum; quam
 tamen haemopto[en] graui aliquo soueri pectoris vitio nequaquam lice-
 bat suspicari. Tanta autem erat huic morbo sociata nervosi systema-
 tis imbecillitas mobilitasque, atque spasmoidicas ad affectiones pro-
 pensio, vt pro hysterico homine iure meritoque hic aeger meus ha-
 beri omnino mereretur. Attamen superata haec mala in sex fere
 hebdomatibus, per Dei gratiam fuere, ita quidem vt non modo affec-
 tiones febriles cum ipsa haemoptoe plane cessarent, facili etiam & li-
 berrima respiratione, integroque appetitu restitutis, sed vt corpus etiam
 bene

bene nutriti, viresque multum increscere sensim coeperint. Per magnam tamen aestatis partem ipsi quaedam inhaesit hypochondriaca sensilitas & varios ad spasmos proclivitas, quam vero quoque, & ex integro fere, sustulit aptum Peruviani corticis cum marte connubium, nec non frequentissimae corporis exercitationis, in primis equitando susceptae, v̄sus. Immo nihil sibi inactus & manifestius tulisse auxilium dein referebat, quam saepe repetitam, etiam acceleratam, equitationem. Sessionem vero, studiorum causa plures per horas aliquando continuatam, absque nonis incommodis tolerare hanc poterat, quemadmodum nec humidorem tempestatem, neque vicuum humectau-tem, nec intermissum animalem, bene ferebat. Ideoque nec dum fe-
riis in autunnalibus anni 1765. infusionem illi concedebam, quamvis multis iterum precibus, ne viterius illam differrem flagitaret. Quum tamen valetudinem suam magis magisque confirmari vere persentis-
ret, pertinacius tandem circa membranit anni finem, ne illam sibi vi-
terius denegarem, obsecravit; & praesertim quidem ne sibi abhinc breuiabituro, medicique Doctoris honoribus impetratis arti exercen-
dae manus admoturo, dein aliquando forte obesset contagii variolosi metus. Nunc ergo nec ego quidem, accurate perpensis corporis eius conditionibus, dubitare amplius poteram, quin hoc officium ipsi iam tutius praestare liceret. Facie & habitu omnino sanissimus erat, valde agile habebat corpus, nullum in respiratione, appetitu, digestio-
ne & excretionibus eius omnibus vitium animaduertebat; quamvis hypochondriacis neruosis affectionibus, si corpus aliquamdiu exercere intermitteret, si studiis in seuerioribus, quibus ceteroquin valde delecta-
tur, continuatum plures per horas operam ponerebat, si somno ali-
quam partem detraheret, si humidiori & relaxante vteretur victu, si
tempestas pluviosa paulo diutius modo pergeret, quodammodo adhuc, licet longe minus quam alias, obnoxius esset.

A die igitur XXIII. Dec. clo 10 CCLXVI. meo ex consilio, domi mansit, a durioribus cibis quibuscumque abstinuit, animalis tamen mollioris humidiorisque v̄sus v̄sum in prandio, minus autem in coena continuauit; musei sui, in quo & paratum sibi lectum habebat,

calor

A 2





calor ne vlt'a 64. ad 68. gradus themometri Fahrenheitiani, lecto appensi, vñquam vrgeretur, me saepius monente, follicite cauit. Neque pedi-
lnuis, neque venaelectioni, neque specificis praeparantibus vñnum hic
locum esse existimauit. Nocere enim ista omnia hic facilius quam pro-
desse potuisse, nec ratio aderat vila, quae ex illis quid postulasset.
Primarum viarum exactiorem puritatem, quae multum semper com-
modi variolo in morbo promittit, aptius procurari censembam laxan-
te mitiori post infestionem, ante febris initium tamen, exhibito. Non-
diu hic differenda videbatur infatio, illamque ad instituendam accessi
die iam 30. Decembr. Incisiones vtroque in brachio feci ad cutis dimi-
diam fere crassitudinem in longitudine $1\frac{1}{2}$ pollicis. Fila duo adhibui
ab illustri Svlzero meo ad infestionem Dni I** initio mensis Octobris
h. a. transmissa, duoque alia illis, eadem ipsa in vulnera, ad latera
posui, quae Hersfeldia Hassorum, paucas ante hebdomades, ex va-
riolis naturalibus discretis optimae indolis recenter parata, acceperam.
Nunc dissuasi esum carnium omnium & ororum, & potum vini, &
aromatū vñnum, concessi tamen, imo consului in prandio adhuc ser-
vare iuscula ex carne vitulino & gallinaceo parata, & lacticinia, pae-
tereaque commendauit vegetabilium præsertim horaeorum fructuum
pulmenta, & aquae fontanae potum, cui immersum esset panis tosti
frustum atque vnum alterumne citri segmentum.

D. 1. Ian. 1766. demta sunt ab vtroque brachio emplastra, extra-
cta que fila, quae exactissime intra vulnerum labia collocata perman-
serant. Margines vulnerum rubebant, ex illo sinistri brachii gutta
sanguinis effluebat, ex vtrisque nonnihil puris boni extergebatur. Im-
posita nunc sunt filamenta ex linteo carpto parata & vnguento basili-
eo illita, atque superdatum est emplastrum diachylon compositum cum
aequali simplicis pondere admixto mitigatum. Simili modo dein quo-
tidie deligatio repetebatur.

Vulnerum labia nonnihil rubere & quid puris fundere, sine mu-
tatione obseruata pergebant diebus 2. & 3. Ian. Die 4. Ian. austus labio-
rum rubor vulnerumque pruritus fuit, suppuratione tamen pari fere
modo continuante. Memorabile vero, hac vice vulnera plane non
vt

vt alias fieri solet; extractis filis coaluisse, sed eadem aperta semper mansisse ad morbi usque finem. Ideoque & hoc in iuene minus certe ac alias infisionis efficacia ex mutatione vulnerum praedici poterat. Vespera diei 2. Ian. vti meus inoculatus coepit manna & sale Seignette in aqua foeniculi solutis, quae & proximo die mane & vesperi sumenda suaseram, ea dosi, vt mollior modo aliis inde redderetur. Die 3. Ian. referebat ipse, per triduum se a iuscum carnium sponte tua, quanuis illa concesserim, suaserimque, plane abstinuisse; quum vero nunc decrescere vires animaduerteret, hodiernum ad prandium sumum vitulinæ carnis iuscum se parandum sibi curasse *a)*. Die 4. Ian. nunc paulo maiorem eorundem remediorum dosim exhibui, qua quintus aliis soluebatur. Peropportune hoc factum videbatur, quum hoc die, sed sera demum vespера, variolosa febris inciperet. Non aequa bene iam interdiu hodie se valere dixerat quam diebus praecedentibus, fere nefciens tamen quid praecipue conqueri vellet. Circa horam autem 10. vespertinam dolorem in subalaribus glandulis atque molestas tensiones in superioribus brachiorum partibus, una cum horrore per brachia ac dorsum persentiscere coepit. Ad lectum se contulit, ubi & febrilem calorem breui post percepit, dormiuit tamecum hac nocte satis bene. Mane aliquantulum sudauit, sublato nunce fere omni illo molesto calore. Dein surrexit ordinariaque sua induit vestimenta. Quum illum iniuserem, mane die 5. Ian. in museo quidem suo deambulabat, de laetitudine tamen artuum & medioeri capitis dolore conquerebatur. Faciei naturalis fere vigor erat, respiratio sa- nissima, animus tranquillus & hilaris, suisque in rebus exultans. Pulsus fortior paulo ac alias, & celerior & vere febrilis, lingua tamen adhuc mundissima erat. Vulnera hoc mane magis ac heri inflamma-ta, duraque, & tali facie praedita apparebant, ac si passum illorum in labiis

a) Etiam huius ergo iuuenis exemplo constat, quam necessarium sit, ad peculiares eorum naturas probe attendere, quos ad variolas mitius concipiendas praeparare volueris. Ut quoque strictior antiphlogistica diaeta huic nostro minime conueniebat, ita nec verisimile habeo, resoluientia efficaciora, nimis generaliter a nonnullis laudata, in ipso locum habere posuisse.



Iabiis exigua tubercula eminerent, aut variolosae pustulæ propullula-
rent. Pulsus in carpo dextro, ut semper cum sanissimus esset, ita
etiam nunc, longe minorem ac debiliorem quam in sinistro animad-
vertebam. Iam vero dissuasi serio & iuseula quaevis carnium, atque
ptisanae hordeaceae aut auenaceae cremorem cum succo citri passulis
& sacharo, vt & horaeos fructus, crudos & coctos, coquaque alia
vegetabilia pro cibo commendaui, pro potu autem hordei perlati de-
coctum cum succo citri expresso & paucō sacharo. Post meridiem &
vesperi adhuc melius quam hoc mane valebat, naturaliter calebat, pau-
lo tamen celerior naturali pulsus hisce temporibus videbatur, etiam
caput adhuc & subalares glandulae dolebant. Cum appetitu satis in-
tegro pransus hodie est ac coenauit, aliumque vesperi sponte ac na-
turali modo depositus. Seriori tamen vespera hora circiter nona, id
eoque paulo citius ac heri rursus horror ingruit, cum cephalgiae
augmento, horroremque infuscatus calor est ac sitis; iterumque tamen
satis bene hac nocte dormiuit, fudauit etiam, & hilaris mane surrexit.
Paroxysmus hic secundus tolerabilius visus est priori. Atque sic d. 6.
Ian. illum extra lectum & in museo iterum deambularem reperi.
Facies & omnis gestus optime sani, lingua perfecte munda, pulsus
paulo maior ac celerior solito, erant, glandulae subalares atque su-
periores brachiorum regiones ad vulnera usque adhuc dolebant. Vul-
nerum eadem quae herifacies. Post meridiem hora 4. rediit horror b),
isque nunc pertinacior prioribus, cum subiectis aëstus perceptione
per aliquot horas alternans. Pulsus hora 6. vespertina parum fe-
brilis erat & omnino minor, minusque celer ac hodie mane; etiam
naturali minor in manibus calor erat, etiamsi de molestio calore in-
tero capitisque dolore vehementiori conquereretur. Satis bene tamen
adhuc dispositum habebat animum, atque praesentibus cum amicis li-
benter confabulabatur. Nonnunquam vero ad quaestia non responde-
bat,

b) Ex rarioribus certe fuit variolosae huius febris genius quod exacer-
bationes solito longe menistiores fuerint, semperque horroribus in-
cepint. Vix dubitandum, systematis nervosi debilitatem ex praeci-
puis fuisse causis, quae peculiarem huius febris indolem produxerint.

bat, in se ipsum nimis attenus. Aliquoties de molesta querebatur difficultate respirationis, nulla tamen in pulsu tunc obseruata mutatio est. Pedes, nisi stragulo tecti essent, sibi statim frigere referebat. Superiori vespera calor subortus est vehementior, cum acriori siti, & capitis dolore, quibus & somnus ad horam usque primam nocturnam impeditus fuit. Dein per interualla sed minus tranquille dormiuit.

D. 7. Ian. quum hora 8. inuiserem, artus adhuc nimis calentes, pulsusque manifeste febrilem deprehendi. De capitis atque glandularum subalarium, & partium utriusque brachii superiorum dolore adhuc multum conquerebatur. Lingua nunc tenuissimo & profunde flano muco erat obducta, ita quidem ut rubrae papillae adhuc eminerent, marginesque linguae mundissimae cernerentur. Suasi ut hodie in lecto permaneret. In vulneribus aliquid puris adhuc semper deprehendebatur. Horum vero labia nunc magis tumida, rubra & rententia erant. Iuxta rimam dextri brachii tumor duos digitos latus obseruabatur. Febris hodie longe minus ac diebus praecedentibus remittebat. Meridie tamen oryzae cremeorem coctasque raparum radices satis bono cum appetitu comedit.

Nouum horrorem hodie non percepit, quainuis ad contactum frigidiores apparerent manus, nisi sub stragulo seruarentur. Vesperi multum, etiam ad contactum calebat, pulsusque habebat fortiorum ac antea unquam, caput dolebat valde, magna sitis aderat, multumque bibebat. Atque nunc se peius habere aiebat ac unquam per totam suam vitam. Nihil tamen aderat periculoso, Appetitus hac vespera desciebat, neque ergo nunc coenauit. Aluum hodie semel depositus naturalem. Medicamentorum nihil datum. Nihil enim aderat, quod pertimescerem, nihil quod leuari posse, sine aliquo vel minori etiam futuro detimento, videretur.

D. 8. Ian. mane multo iterum se melius habebat. Referebat hanc per noctem ornino melius & minus interrupte quam praecedente se dormiuisse. Pulsus quidem adhuc febrilis erat, & mediocriter fortis, calor autem fere naturalis, respiratio, vox, animus, certe optimi. Dolebat parum caput, & brachiorum partes superiores ad vul-



vulnera usque, & subalares glandulae. Vulnera fere ut heri compara-
rata, nisi quod in rimis distingui potuerint albae maculae, iu forami-
na suppurantia transiturae; &, quae heri iuxta vulnus dextri brachii
lateraliter durities tumorque fuerat, ibidem euanuerit, eiusque loco similis
nunc ad finistrum vulnus tumor comparuerit. Meridie cum appeti-
tu quid comedit. Etiam ad seram vesperam usque suis rebus optime
contentus erat, de molesto calore non conquestus, de imminuto etiam
brachiorum ac subalarium glandularum & capitis dolore gauisus; lu-
bentissime cum amicis colloquiebatur, sibique ipsi robribum potui or-
dinario admiscendum praescribebat. Vulnera nunc magis prurire quam
dolere aiebat. Hac vespera consulto nihil coenauit, quod appetitum
sibi deficere sentiret.

D. 9. Ian. Hac iterum nocte satis bene se dormiuisse referebat,
etsi aliquem noctu paroxysmum leuorem rediisse existimaret, quem su-
dor mediocris discusserit. Nunc autem ab omni febre plane liber vi-
debatur, quum calor corporis ad contactum naturalis, pulsusque na-
turali vix celerior duriorque deprehenderetur. Attamen pustula variolo-
sa needum villa comparebat. Animo vero hilari optimeque disposito
praeditus erat, quem & per integrum hodiernum diem atque dein sem-
per conseruauit. De rebus medicis, de insitionis in primis praestan-
tia, & de inauguralis a se conscribendae dissertationis themate proli-
xum mecum sermonem habuit, variosque patriae suae consuetudines,
instar sanissimi, amicis praesentibus enarrabat. Vulnerum labia hodie
etiam magis ac heri tumebant ac a se inuicem distabant, ipsoque in li-
atu intermedio penitus alba erant & pure madida. Glandulae sub axil-
lis parum dolebant. In lecto etiamnum ut maneret suasi, quo viri-
bus parceret, ad eruptionem ipsam necessariis. Meridie bono cum
appetitu comedit. Aliquot horas post meridiem praeter opinionem
ab amico detectae sunt quaedam variolae, 2. nempe vel 3. in
facie, & una in brachio dextro c). Surrexit postea, quum se viribus
satis

* An ergo quid mali erat, ita sero, nempe ad finem diei quinti à fe-
bris initio eruptionem denum contigisse? an etiam praefitisset illam
alexio-

satis pollere existimaret, atque per aliquot horas extra lectum permanesit. Nulla febris indicia per integrum hunc diem apparuerunt.

D. 10. Ian. Ob molestiorem in praegressa nocte ex ulceribus brachiorum sensum parum dormiuit. Etiam sitiit babitque plus quam heri interdiu. Labia vulnerum valde tumida rubraque erant, & satis amplae iam euaserant illorum aperturam, quae tenue & bonum pus fundebant. Hodie tamen quoad omnia melius etiam ac heri valuit, a febre liberrimus, bene appetens, & maiorem quoque diei partem extra lectum consumens. Hodierno in prandio ad iuscum carnis gallinaceae reddit cui oryza incocta erat. Vulnera hodie bis deligata. Variolarum exiguis adhuc numerus erat, vix enim 4. in facie, 3. in brachio sinistro, etiam 3. in pede dextro reperiebantur.

D. 11. Ian. Tranquilliori nunc somno recreatus iam fere instar sanissimi & exoptato plane valet. Ulcerum dolorem fere penitus cessasse neque alio ullo molesto sensu se affectum esse referebat. Ipsa autem illa ulcera iam in tota incisionum longitudine ad profunditatem 2. fere linear. aperta, labiis ad 3. fere lineas distantibus, reperiebantur, unde pus tenui sponte effluebat. Numerus nunc pustularum omnium in toto corpore fuit 20. ad summum. Quae ex his faciem occupabant iam suppurare hodie coeperunt. Per maximam diei partem extra lectum fuit. Meridie pransus est iuscum carnis bubulae cum hordeo perlato, dein & brasiliacm crispam cum huiusmodi iuscum coctam, atque hoc cibo se maxime recreauit; vesperi coenauit iuscum carnis vitulinae, eoque cerasa tosta.

D. 12. Ian. Nihil amplius erat quod conquereretur noster. Lectum interdiu non amplius petebat. Absque ullis insomniis somno maxime tranquillo integrum noctem transegerat. Binae in facie pulsulae

alexipharmacis accelerasse? quae multorum esiamnum sed minime laudabilis methodus est. Manifestissime autem & haec obseruatio confirmat, etiam post multam variolosae febris declinationem, ubi modo talis vere fuerit, eruptionem variolarum ex voto succedere posse; maximeque illos errare, qui putant augmentum febris, ubi defecerit, artis auxilio omnino semper promonendum esse, donec variolarum eruptione contingat.



fulae siccas in crustas iam transierant, binaeque aliae supererant optimi vigoris & pure plenae. Ulceribus brachiorum, quod nonnihil impura essent, mane inspergebatur pauxillum pulueris myrrae, vnde vesperi iam mundissima apparebant.

D. 13. Ian. Nihil plane amplius de morbo varioloso aut ullo eius symptomate metuendum esse fere persuasissimum habere licebat. De secundaria febre, de saliuatione, de faciei tumore, de oculorum aliarumue partium incommodis, nihil plane animaduertebatur. Continuata nunc semper est animalis diaeta cum vegetabili nupta.

D. 14. Ian. Ulcerum in brachis latitudo & profunditas decrescente coepit, omni plane labiorum tumore sublato. Iam nunc plane sica imponebantur filamenta.

Valde gelida, simulque serena tempestas ab huius anni initio ad hunc usque diem continuauit; Mercurio thermom. Fahrenh. ad 8-16. plerumque gradum supra frigus artific. salis armon. haerente, atque illo barometri per octiduum ad 28. dig. Paris. constituto. Nudius tertius sensim imminui frigus atque hac vespera fundi glacies coepit.

D. 15. Ian. absoluta plane exsiccatio erat, perpaucis adhuc reliquis corpori adhaerentibus crustis, & sine ulla quidem vel minima succedente cicatricula.

D. 16. Ian. Mannae vncia una & semisse atque salis mirab. Glauberis drachmis leniter purgatus est, vt fere quater aliis mota fuerit.

D. 17. Ian. Peruviani corticis semidrachmam ter quotidie per hebdodomadem sumendam suasi.

D. 21. Ian. Aeri primum libero se commisit, scholasque Praeceptorum qua solitus fuerat industria iterum frequentare coepit, amicorum & fautorum etiam mea sincerissima congratulatione exceptus.

D. 23. Ian. Etiam sanata erant brachiorum vleuscula. Quin autem die 31. Ian. equitatione extra urbem cum amicis instituta se recreauerat noster, vlcera illa paululum recruduerunt, attamen sumto iterum miti laxante, adhibitaque apta deligatione, post paucos dies facile ita coaluerunt, vt ex integro dein clausa manferint. Atque nunc laetus

laetus vegeta & incolumi, etiam perfectiori quam ante infestionem, valetudine fruitur praestantissimus hicce medicinae candidatus, quem ipsum ut porro saluum, eiusque consiliorum successus fortunatissimos esse iubeat supremum Numen, integro ex pectore voueo precorque.

Historia III.

Transeo ad enarrandam quoque infestionem nobilissimi Studiosi medicinae Ch **, tum ob laudabiles, quos nostris in doctrinis fecit profectus, tum ob vitae quoque ac morum integritatem, mihi semper aestumassimili.

Hic aetatis erat annorum. XXIII, cum infestioni meae se submittere in animum induxerat. A pluribus annis sanissimus fuit, nisi quod nonnunquam catarrhalis angina haud graui, sub aduersa tempestate laboratus fuit, qua breui sine suppuratione, sine vlla molestia reliqua, liberabatur. Mediocri corporis robore, cute autem ad contactum densiori praeditus erat. Pulsus quoque magnitudine ac duritate mediocritatem nonnihil excedere videbatur, de nullo tamen, quod plethoram indicaret, incommodo querebatur, nec vnuquam hactenus secta ipsi vena furcat.

A die 1. April. 1766. domi, meo ex consilio, permanebat, carne adhuc vitulina & iuniori gallinacea in prandio, nulla autem plane in coena, in primis tamen vegetabili mollierique & humectante victu nunc vtebatur; a cereuisia quoque & vino & potu coffeeae, & aromatibus, & ouis plane abstinentis. Potus ipsi erat aqua cui immersumpannis tosti frustum, & quaedam citri segmenta. Nonnihil plus solito, me suasore, bibit.

Die 3. Apr. in altera nasi pinnæ rubor praeter consuetudinem apparebat, cum exiguo ibidem nato vleusculo. Euanuit plane post aliquot dies leue hoc incommodum, sumtis mane & vesperi binos per dies proximos minoribus dosibus salis mirab. G: in tinctura rhei solutis, ita quidem ut aliud inde mollior fieret, & bis vel ter quotidie moueretur. Pediluvio tepido semel ipso hoc die 3. Apr. usus est.

D. 7.

B 3



D. 7. Apr. peracta est insitio in brachio vtroque, eadem plane ratione ac in praecedentibus exemplis meis memoratum. Fila lancea erant, Cassellis ante 6. hebdomades ex variolis discretis optimae indolis & satis maturis accurate impraegnata. Animalem nunc vicum omnem dissuasi.

D. 8. Apr. de imminuto appetitu, & aliqua capitris grauitate querebatur noster, & linguam habebat albo spissiori muco superius obductam, maleque olebat etiam ex ore nunc emissus spiritus. Repletus ideo cathartici salis in rhei tinctura soluti per hunc & proximum diem vsus, cuius ea fuit efficacia, ut ista fordium ventriculi signa ex voto plane & sequente iam die disparuerint.

Quin die 9. Apr. demerentur fila ex brachiorum rimis, haec fere iam plane coalitae & perparum adhuc rubrae, proximis autem diebus perfectissime sanatae apparebant. Deligabantur quotidie scimel simili plane ratione ac praecedentibus in exemplis factum esse retuli.

Non nihil iusto maior adhuc pulsuum durities & magnitudo videbatur, quam vt sine his imminutis febrem satis mitem exspectare licet. Quare, cum & aequalem in corpore toto fere calorem, nihilque spasmodicae affectionis, satisque integrum chyli officinam deprehenderem, d. 11. April. venam in pede secundam sanguinisque febre vncias VIII. emittendas curauit d) Quam detractionem optime ac sine omni plane iucommodo pertulit. Sed nunc tamen depressior molliorque pulsus apparebat.

D. 12. Apr. aliquam in ipsis insitionum locis dolorem sentire coepit, integerrima tamen adhuc illorum erat facies.

D. 13.

d) Libentius venaefectionem, etiam si de illa instituenda plures hebdomades ante non ambigam, ad hocce temporis interuersum, quod insitionem & febris initium intercedit, differre soleo. Non enim solum cunctatione hac locus conceditur certius & accuratius cognoscendae corporis integræ constitutioni, atque aestimandæ quarundam purgationum, mutataque viuendi rationis, in humorum circulationem, aliisque corporis functiones, efficacie; sed eo etiam plus leuamini ex detractione sanguinis in febre variolosa exspectare licet, quo proprius ante initium eius instituitur.

D. 13. Apr. minus alacris erat, atque de capitis aliqua gravitate querebatur, ceterum bene valens ad horam usque 7. vespertinam, qua leviter inhorruit, calore dein mediocri corruptus, cum febrili pulsus velocitate, doloreque capitinis, & aliqua per noctem inquietudine affectus, parum dormiuit.

D. 14. Apr. Surrexit, indutisque vestimentis de sua febre exultans, cum amicis per museum obambulauit, calor ad contactum naturalis erat, & capitinis dolor fere cessauerat, pulsus aliqua febrilis celeritas continuabat. Sub axillis & in colli lateribus dolorem, in vulnerum locis pruritum, percipiebat. Lingua mundissima, optimeque humida erat. Oculorum & faciei totius vigor sanissimus. Vrina rubra pellucida. Incisionum ipsarum in utroque brachio loca adhuc integerime sana, nec rubra nec alba nec tumida. Prope lineam vero infestationis dextrae superius pustulae 5. inferius 2. & in medio ipsius finis strai brachii cicatricis inferius 1. apparebant. Atque haec ultima iam nonnihil puris continebat. Appetitus in prandio mediocris fuit. Horra post merid. 4. horror leuis rediit, cui subsecutus calor, sed factissime tolerabilis, circa 7. vesp. leniter sudanit, unde & calor iterum remisit, ut optime se haberet inoculatus meus, lubenterque cum praesentibus suis commilitoribus confabularetur. Noctis sequentis maximum partem tranquillo somno transegit, de nullo quod perciperet, incommodo conquesitus.

Die 15. Apr. hilari vultu mane me excipiebat vestitus & lectulo infidens. Calor manuum & faciei plane naturalis erat, ille conclavis autem nimius, 73° nempe thermom. Fahrenh. Quare fenestra in remotiori a lecto musei parte statim aperta, focusque ex fornace, me suo fore, extractus fuit. Pulsus naturali maior, durior, celerior. In cicatricibus pruritus, atque in subalaribus glandulis & in exterioribus colli partibus dolor, continuabat. Alicuius febris in pulsu indicia, cum naturali semper ad contactum calore, per integrum diem perseverarunt, ita tamen ut de reliquo satis bene valuerit. Vesperi autem hora 8. vehementius & per semihoram fere inhorruit, abindeque molestiorem caloris sensum, inter exiguum & inquietum somnum percepit,

◆ ◆ ◆

cepit, multumque sitiit ac bibt, capitis tamen dolore facile tolerabili affectus.

D. 16. April. Haec ipsae molestiae continuabant. Pulsus celerior duriorque ac heri erat, calor adhuc ad contactum naturali maior. Dolor glandularum subalarium & colli austus. Languorem virum hodie non permittere aiebat, vt extra lectum commoraretur. Attamen vere laeta & plane sana erat faciei oculorumque conditio, lingua perfecte munda, humidaque. Vires erigendo corpori & pro lubitu mouendo quam facilime sufficiebant. Animi etiam vigor tantum valebat, vt quoque de rebus medicis quam lubentissime saepius cum adstantibus sermones conferret. Hodie autem appetitus ad comedendum plane defecit, vt quoque ad puluerem sternutatorium attrahendum, quo heri magno cum oblectamento adhuc, sua ex consuetudine, vtebatur. Cicatrix in dextro brachio illibata & sanissima permanxit, neque duritie neque rubore circa illam conspicuis, nec innata illi pustula fuit, neque hactenus increuerunt per exiguae illae pustulae nudius iam tertius prope illam obseruatae e). In medio autem cicatricis brachii sinistri, quoad reliquam partem quoque adhuc integerrimae, alba nonnihil austra macula nunc apparebat, rubro etiam ornata circulo.

Post meridiem caloris sensus cum siti magis increuit, vesperique de aestu sibi valde graui querebatur. Dolor etiam sub aliis, & in colli exterioribus, deglutitione integerrima permanente, & ille capitis, vesperi multum aducti apparebant. Mens integerrime sibi constabat, neque vires deficiebant ad erigendum atque pro lubitu invendum corpus. Lingua munda & humida continuabat. Interruptus autem per noctem sequentem somnus erat. Nec remiserunt noctu molestiae, cum vigilaret, perceptiones, dolor nempe capitatis, glandularumque colli & subalarium, & pruritus in loco cicatricis brachii sinistri, & ingratus caloris nimii sensus, & sitis.

D. 17. Apr. Eadem ipsa incommoda, & vix tantillum horis matutinis

e) Minus ergo efficax instio fuisse in dextro brachio, pustularumque prope cicatricem illius prouentus aliqua forsan emplasti irritationem, sine ylo tamen incommodo, excitatus esse videbatur.

Enis alleuata, per integrum fere diem continuarunt. Renuebat hoc mane corpus erigere, cum brachia deligari deberent, quod capit is dolorem inde increscentem persentisceret; ideoque & hodie semper lecto affixus permanxit. Incisionum loca simili se modo habebant ac heri. Hodie nunc lingua muco subflauo, molli tamen atque tenui, obducta comparebat. Assumendi cibi nulla cupiditas, sed nec vlla tamen nausea aderat. Quantumvis molestus aegro caloris interni sensus esset, non ultra 105. gradus tamen Fahrenh. thermometri, cum hoc nudo corpori sub stragulis admoueret, mercurius adscendere obseruabatur. Quum membrum moueret, & praesertim e stragulis illud exsereret, hodie pariter ac heri, se horrorem per corporis superficiem percipere, durante aestu interno, referebat. Vesperascente die omnia nonnihil remittere incipiebant incommoda, pulsus mollior & minus frequens nunc erat quam antea; moderatus etiam sudor circa VII. vespertinam erupit. Alius, quae heri ac nudius tertius clausa manferat, hodie circa vesperam sponte feme & plane naturaliter soluta est f).

D. 18. Apr. inanifeste hilarior vegetiorque hoc mane apparebat inoculatus meus, doloreque capitis & glandularum sub axillis & colli se liberatum aiebat. Pulsus mollior, maior, tardiorque ac heri, & calor manuum & faciei fere naturalis, deprehendebantur. Multum praegressa nocte caluerat, ut etiam nonnihil delirauerit, dein copiosus manifeste criticus infuscatus est sudor, qui me adueniente hoc adhuc mane continuabat. Querebantur suauissimi qui aderant coimilitones, variolas nondum villas prodiisse. Ego vero multum integriorem hoc die, qui febris quintus erat, aduertens valetudinem, post superatas grauiores affectiones, insecuram, prognaciaui, esse vix aliter posse, quin eruptio nunc instet, vel iam cooperit. Perlustratis membris, en! reperi variolam post auriculam sinistram, 1. in suprema fronte, 6. iuxta cicatricem vulneris dextri adhuc perfecte sanam, 2. in condylo interno brachii dextri, quibus magnitudine aquales apparebant 6. circa cicatricem

f) Similis hoc in exemplo, quoad alium tardiorem, conditio fuit ac in hist. I. D. I**. conf. Progr. sclemibus inaug. D. D. GRIMMANNI dicatum p. 16.



cem adhuc perfecte sanam incisionis dextræ. Intermissa nunc autem deligatio est incisionis loci hoc in brachio dextro, quod nihil plane inflammati haberet, nec vallis esset coniecluræ locus recrudescente hoc vulnus posse g). Sinistro autem in brachio circa infisionis locum regio magnitudinis thaleri maioris rubebat, tumebat, solitoque ad contactum durior erat, & valde pruriebat. In media cicatricis linea puscula major erat, in qua collectum pus per epidermidem transparebat. Redire nunc appetitus hodie coepit. Post meridiem & vesperi optimo praeditum animo, & viribus artuum bene valentem reperi, etiam extra lectum aliquamdiu commoratus fuit. Valde nunc ipse meus in oculatus infisionis extollebat praerogatiwas. Pulsus hodie naturalis erat, lentus, robustus, cum iusta mollitie, qualem fere obseruaueram, cum sanissimum praeparationis instruendas causa prima vice inuiserem. Etiam calor corporis perfecte naturalis erat. Non nihil quidem dealiquo dorsi dolore querebatur, qui vero ex continuato per aliquot dies decubitu, forsitan & a flatibus, esse videbatur. Reserbat ipse bonus aeger meus, se, ultra eas quas vidisse, 4. adhuc variolas altero in semore inuenisse.

D. 19. Apr. Per integrum noctem exoptatissima cum tranquillitate dormierat, ab oinii febre plane liberrimus, talisque integrum per diem permanxit. Numerabainus mane in dextro brachio 15. pusulas, quarum 9. ad latitudinem duorum fere digitorum ab infisionis cicatrice distabant, quae & reliquis magnitudine pares erant, nec deinceps illis solita sua percurrent stadia. Iuxta sinistri brachii incisionem nunc etiam plures apparebant pusulae; & maior illa quae cicatricis medio infedit, adhuc pariter ut heri comparata erat. Rubor, cum aliquo tumore ac duritate iuxta cicatricem per manus nunc spatium, & ad articulum usque cubiti, se extenderat, quae regio & hodie molestiss & cum sensu pulsationis dolebat. Appetitus ad comedendum hodie iam magis

g) Habuimus iterum, quod gauderemus de instituta binis in brachis infisione, quia, si vna saltim in dextro brachio peracta fuisset, optatum illa successum probabiliter non habuisset. Conf. hist. I. in progr. sed diff. D. D. GRIMMANNI p. 12.

magis austus apparuit. Post meridiem nouae pustulae 3. in facie, & aliquot in manibus prodierant. Alius quotidie nunc semel sponte solvi solebat.

D. 20. Apr. referebat se ob molestiam doloris, in sinistro brachio percepti, vix duas per horas praeterita nocte dormiuisset. Vere tamen immunita nunc apparet regio inflammata, non enim amplius tam late se extendebat rubor ac tumor, et si eterque prope ad maiorem pustulam non nihil increverat. Ex hac pus non dum effluere cooperat, latior tamen erat alba eius pars, quam tenuissima modo tegebat cuticula *b)*. Variolarum omnium laetissima facies erat. Non nihil doloris in fauibus, atque deglutitionis aliquam difficultatem, facilissime tamen tolerabilem, hodie querebatur.

D. 21. Apr. Multum remisit in brachio sinistro dolor; etiam nocte superiori quam praestantissime dominerat. Faecum dolorem sternum nunc fere plane cessasse, silique facilem rursus esse deglutitionem, aiebat. Lingua purissima erat. Et hac nocte variolarum numerus adhuc increvit, ut etiam in facie 15, harumque una in superiori dextra palpebra, reperirentur. Regio circa incisionis locum brachii sinistri ad diametrum 4. poll. adhuc rubebat, ac tumebat. Ipsa pustula maior nunc aperta non nihil puris fundebat. Et pleraque faciei, & nonnullae manuum iam pallescere, atque bona suppurationis incipientis indicia praebere obseruabantur.

D. 22. Apr. Hoc mane iterum deglutitionem difficultorem atque dolorosam querebatur, nihilo tamen minus hodie tenuiora quadam alimenta sumere, & pro appetitu bibere valuit, nec de reliquo molestarum quid, praeter aliquem circa maiorem pustulam dolorem percipit

b) Omnino lieuisset incidere hancce cuticulam, exitumque puri parare. Factum non est, quod periude penitus fore iudicauerim, sive perexitum hoc puris, quod plane non turgebat, quod cuticulam non tenebat, emitteretur, sive, donec sponte sua efflueret, relinqueretur. Quam primum enim immunita inflamatione pustulam ambiente pus in hac turgere incipit, quam facilissime tenuis ille cuticula disrupta solet.



pit ⁱ). Nullus aderat capitinis dolor, nec mane vllum febris indicitum; etiam naturalis plane linguae facies deprehendebatur. Vesperi solito & iusto nonnihil magis calebat, & pulsus habebat quodammodo febrilem ^k), sed viribus adhuc animi corporisque bene valebat, nimisque exigua febris apparebat, quam ut, praeter potum subacidum atque diaetam antiphlogisticam, efficacioris auxillii quid postulare videatur. Ob leuiorem faecium phlogosin, hodie saepius gargarismate vñus est, ex rad. alth. & fl. samb. cum aqua coctis, atque melle ros. & pauxillo salis prunellae colaturaе admisis, parato. Huius portione usurpata, non autem alias, quid sputi pituitosi obseruabatur.

D. 23. Apr. Non plane exoptataam hac nocte quietem sibi fuisse, nec deglutitionem multo ac heri faciliorem evasisse referebat. Perparum quoque adhuc inflatum apparebat velum palatinum. Lingua ipsa naturaliter munda erat humidaque. Pulsus etiam hoc mane iusto nonnihil velocior, sed calor naturalis erat. Dolorem capitinis plane nullum sibi esse aiebat. Vires satis integrae continuabant, ut facile surgere & ambulare valeret, plerumque tamen, idque meo ex consilio,

^j) Familiares sibi leuiores ex refrigerio catarrhales anginas referebat. Neque dubium, quin eiusdem generis praesens affectio, atque similis etiam eiusdem origo fuerit. Suæ nempe valetudinis rationem aliquoties negligens noster, ab aura frigidiori, cum ventosa tempesta esset, atque fenestra subinde aperiretur, sibi dum calceret sudaretque, prout amici testabantur, minus eauit. Neque faecium haec affectio sibi conuentam habebat, solito in variolosis adulorum naturalibus more, fationem vllam; siquidem illud quod gargarismatis modo vñum sequebatur paucum pituitae sputum, pro critica tali ad variolosum morbum referenda excretione haberet non poterat.

^k) Minime quidem infaciandum, & insicuus nonnunquam variolis febrem aliquam secundaria accidere, quod attores nonnulli minis generaliter pernegasse videntur; attamen quae huic nostro contigit, alteroqne suppurationis die incepit, febris leuior, pro anginosa potius catarrhalis, & refrigerio quidem admisso excitata habetur, quam pro vera secundaria variolosa. Illius nempe inanis manifestior causa praecesserat, hanc minus probabilem fecerant vere perexiguis variolarum praesentium numeris, illarum omnium laetissima facies, & integra praecordiorum, quoad e signis constabat, conditio.

filio, leuiter amictus, lecti stragulis infedit, vel pro lubitu incubuit. Plurimae variolarum in facie siccari iam coeperunt. Circa maiorem brachii sinistri pustulam omnis inflammatio nunc plane cessauerat, & ex ibidem nato vlcuseculo puris aliquot guttae effluebant. In pustulis fonticulum hunc ambientibus, quae emplastrum tegerat, penitus absolta suppuratio erat, quo usque reliquae corporis, illis faciei exceptis, nondum pertigerant. Suasi nunc ab hoc mane, ut omni trahorio gargarismatis portionem fibi ope syringae iniciendam curaret, eamque nonnisi in fauciibus probe agitata exspueret. Quo facto copioſior quidem singulis vicibus exfreatio sequebatur, quae tamen veriori rem ptyalisni variolosi conditionem nequaquam habebat. Vesperi aequales est. pimpin. albae atque syr. papav. rh. partes commiscendas praescripsi, vtque huius medicaminis 2. parua cochlearia circa tertiam quanuis horam assumeret, consului.

D. 24. Apr. Iam rursus laetior atque ferenerior omnium rerum facies. Hilari enim gratoque vultu, atque vegetis oculis, animum suis de rebus exultantem declarantibus, mihi aduenienti omnia nunc longe meliora esse referebat. Tranquillo per noctem somno multum auctas esse vires, atque doloris fauicium deglutiendique difficultatis perexiguum modo adhuc reliquum, persensit. Febris nullum amplius indicium supererat. Recoluiimus nobiscum insignia huius infestionis commoda; nihil haec tenus verae salivationis obseruatum, oculi clarissimi semper & aperti permanerunt, facies non intumuit, grauioraque symptomata, quae secundariae febri alias facile accidunt, plane defuere; satis que cito etiam ipsa catarrhalis angina, sine dubio fere ex refrigerio per errorem admissa orta, transiit. Omnium nunc totius corporis pustularum numerus ad 60, reperiebatur, quarum 25. faciem occupabant. Pergebat in facie exsiccatio, reliquo autem in corpore variolae, pure adhuc turgentes, rubris halonibus optime ornati comparebant. Ulceris brachii eadem conditio ac heri. Ad animalem victum hodie redire coepit. Continuauit tamen hodiernum adhuc per diem gargarismatis & essentiae memoratae usum. Nunc per integrum fere diem a lecto abstinuit.

D. 25.

C 3



D. 25. Apr. referebat se a dimidia post 9. vespertinam, summa cum tranquillitate, ad 7. usque huius diei matutinam continenter dormisse, atque omnem deglutitionis difficultatem nunc plane sublatam esse. Variolae faciei omnes, & in reliquo corpore plurimae iam exsiccatae. In vleusculo sinistri brachii cutis particula insensibilis & sublivida, tres fere lineas lata, comparebat, sponte secessura. Initium hoc mane fecit sumendi mitioris laxantis, e sale mirab. Glaub. in tintura rhei soluto, ea dosi ut molliorem illud alium aliquoties quotidie moueret. Huius remedii usum per tres proximos dies continuavit. Integerrimo cum appetitu hodie pransus est ac coenauit.

D. 26. Apr. omnia ex voto. Vleusculum similiter ac heri comparatum. Inspergebatur secessurae cutis particulae pauxillum Mercurii praecip. rubri.

D. 27. Apr. Valebat praestantissime. Plures variolarum crustae iam delaptae. In vleusculo pus optimae indolis, cutisque corrupta particula nunc mobilior.

D. 28. Apr. nihil noui.

D. 29. Apr. Nunc vulsellula facillime eximi poterat particula cutis corrupta. Quo facto mundissimum reddebat vleusculum, idque sicis nunc filamentis deligabatur.

D. 30. Ap. iam bona carne vleusculum impleri coepit.

D. 2. Maii libero se aeri committere & die huius mensis 5. meas iterum scholas frequentare coepit, integerrima praeditus valetudine, qua etiam, quoad mihi constat, adhuc fruitur, quamque constantissimam illi appreco. Vleusculum brachii sinistri die illo 5. Maii sauationi quoque iam proximum apparebat, huiusque facillima curatio breui dein absoluebatur.

Addendum existimo, neque ex hisce duobus, neque ex aliis ullis mearum inscriptionum exemplis contagium variolosum, quoad noui, cum infante vel adulto communicatum esse. Cauimus omnes, qui artificiis illis variolis adsumus, omni studio ac sollicitudine, ne contagium ulterius propagaretur; quamuis nec dubitauerimus, parum de infectione metuendum esse, ubi mitissimus morbus, & per paucae modo
pustu-

pustulae, optimusque successus adsint, talisque defecerit, quae variolas foveat, epidemica constitutio.

Sed progredior ad id, cuius gratia haec scribere institui, ad indicandos nempe honores, tribus dignissimis medicinae Candidatis, die XVII. Sept. CCCC LXVI. ipso Georgiae Augustae natali, publice & solemniter impertites; quorum vitam & studiorum rationem propriis ipsorum verbis recensemus.

I.

MAVRITIVS FRIDERICVS HOVTH

STEINFVRTO GVESTPHALVS.

Annus erat post C. N. 1745. Et dies mensis Iulii 8. quo lucem primam vice adspexi, parentibus Ioan. Frid. Houth medicinae doctore, iudicisque aulici Steinfurten sis assessore, quem triste fatum ante 10. annos & ultra mihi prob dolor! iam eripuit, & Anna Alcida e stirpe Beckhausiana, quam adhuc viuam colo. Hi utriusque dilectissimi parentes religionis & pietatis praecepitis statim ab incunabulis me imbuendum curarunt.

Nonum quum attigeram annum, ea etiam, quae studiosam non solum ornant inuenitum, sed & illi ipse, antequam ad altiora procedit, cognitiu requirenuntur necessaria, addiscere coepi in gymnaſio Steinfurteni partim, partim in Lingensi, ubi prima medicar & philosophicae scientiae gustare fundamenta mihi etiam licuit: Prioris elementa in me posuit HULLESHEIM, posterioris SLEGTENDAL, utriusque professores in gymnaſio hoc illustri clarissimi. An. 1762. desiderio flagrabant, ipsi ciuium academicorum numero adscribi. Meo ipso hoc anno satisfaciebat votoproreceptor Groningenſis A LENNEP & quidem d. XVI. Septbr. Celeberr. beat. LAMBERGEN, VAN DOEVEREN atque ENGELHARDT, mei in academia, quae Groningae est, erant praeceptores: primus in medicamentorum simplicium compositorumque scienzia, secundus in osteologia, anatomia, physiologia & arte obſtricicia, tertius.

* * *

tertius in philosophia rationali. Ao. 1763. Georgiae Augustae Musas ve
salutarem, maxime optabam. Nec dilectissima mater mibi hoc recu-
savit, libentissime e conurario concessit. Eodem hoc anni curriculo hue
adii, abs ill. PÜTTERO, ad reipublicae litterariae tunc temporis se-
dente clavum, ciuitatis iura consecutus. Hic maxima cum voluptate
ea, quae in utraque scientia, & medica & philosophica mibi addi-
cenda adhuc erant, ut docerer, quousque fieri livi, studui, ducibus
viris illustr. excell. & ampliss. RICHTERO in conservandae pariter
ac restituendae sanitatis, formulariumque concinnandarum praceptoris;
VOGELIO in semioticis, chirurgicis, chemicis atque iis, quae ad
medicinam legalem spectant: SCHROEDERO in anatomicis &
practicis: MATTHIAE in pathologicis, semioticis, therapeuticas gene-
ralibus, exercitiisque disputatoris: MURRAY in botanicis: WRIS-
BERGIO in anatomicis atque obstetriciis: HOLLMANNO atque
KAESTNERO in philosophia naturali: BÜTTNERO in Zoologia;
MEISTERO in mathe.

Admissus ad examina responsionibus accuratis solidisque praecla-
ram suam in medicina doctrinam nobis comprobauit, atque die XI. Sept.
CIO ID CC LXVI. sine praeside cathedram conscendit, & habita lectione
cursoria de naturae in sanandis morbis potestate, thesum medicarum
apparatum, quod ante anniversariam solemnitatem typis absolui non
potuerit eius dissertatio, cum laude defendit; breui autem post ipsum
inaugurale specimen suum de natura in medicina duce in publicum
emisit.

II.

II.

IOANNES PHILIPPVS RÜLING
GOETTINGENSIS

Natus sum Goettingae IV. nonar. Maii, CIO IO CG XXXXI patre EN-
GELBERTO RÜLING, matre MARGARETHA ELISABETHA KOL-
BORNIA. Primum mihi Sacrarum literarum elementis imbuto, Goet-
tingense lyceum adeundi, Cel. R. WEDEKINDI disciplina frui licu-
it. Ita ad altiora paratus, b. Ill. ROEDERERI, Academiae tunc
Prorectoris, beneficio, inter academicos ciues receptus sum A. CIO IO CC LX.
Medicinae artem ut accuratius haurirem, summis viris ducibus usus sum,
G. G. RICHTERO in pathologicis, diaeteticis, therapeuticis, materia
medica, arte formulas praescribendi ac chirurgia; R. A. VOGELIO
in materia medica, chirurgia, atque chemia. P. G. SCHROEDERO
in osteologicis & therapia speciali; b. I. G. ROEDERERO in anatomici-
cis, osteologicis, & physiologicis, D. S. A. BÜTTNERO in botani-
cis. G. MATTHIAE in pathologicis, utraque therapia, exercitiisque
disputatoriis; H. A. WRISBERGIO in anatomicis, osteologicis, phy-
siologia atque arte obstetricia.

Ex Philosophicis didici ab Illustribus Viris, S. C. HOLLMANNO &
A. G. KAESTNERO physicam experimentalē & in thesin puram, ab
O. D. H. BECMANNO, logicas ac metaphysicses praecepta: a I. C. GATTE-
KERO, historiam vniuersalem: a C. W. BÜTTNERO historiam na-
turalem & chemiam.

Rei herbariae, cuius amore eram delinitus, quod mihi a medi-
co studio reliquum temporis erat, annuente cel. BÜTTNERO, dicaui.
Tres fere sunt anni, ex quo, ut indigenarum plantarum scientiam
mihi compararem, omnem Goettingensem agrum, Hassiacae terrae tra-
clus montisque peragrai, iter in Iuliam academiam Helmstadiensem,
suscepit, ut in notitiam venirem Ill. Viri PH. C. FABRICIL, & horti
academici plantas rariores cognoscerem.

Omnem

D



◆ ◆ ◆

Omnem siluam hercynicam, ad eius stirpes indagandas, perscrutatus sum, & montes Kithäuser, Altenstolberg, Brüsterum aliquoties, adii, ceteras ut omittam, per Sollingensem siluam & in alia loca institutas excursiones. Est, de quo vehementer mibi gratuler, quod peritissimi botanices viri FABRICIVS, WILLICH, SCOPOLI, POT, ANDREAE, aliquie, sua me dignantur & amicitia & literarum commercio. Academia historica Goettingensis VII. Kal. April. CIO CC LXV, me sibi sedalem adscivit.

Quum nostro se examini subiiceret, praeclaros in arte salutari proiectus fatis nobis conspicuos reddidit, vt ergo & ordinis nostri unanimi consensu honores quos promeruit summi ei decernerentur. Quum vero specimen inaugurale botanicum pluribus propriis experimentis atque continuata obseruatione stabiliendum conscribere instituerit, e re sua fore visum est, saturam primam thesium medicarum illius loco ex cathedra defendere; quod & ipsum consilium cum laude exsecutus est, praemissa cursoria lectione de verioribus scorbuti originibus die XV. Sept. CIO CC LXVI.

III.

FRIDERICVS LVDOVICVS MAY

CLAVSTHALIENSIS

Natus sum Clauſthaliae, anno CIO CC XLII. patre ANDREA DIDERICO MAY, huius urbis aerarii publici praefecto atque senatore specatissimo, matre MARIA CATHARINA DEGEN. Optimi bi parentes ut ab iuente statim aetate primis religionis fundamentis & its litteris, quibus infantilis aetas erudiri debet, rite imbuerer, omnem adhibuerunt curam. Crescente aetate me curae praecessorum incliti gymnasi, quod in urbe patria floret, commiserunt. Ibi autem cum in its artibus atque doctrinis, quibus iuuenilis aetas ad humanitatis studia informari solet, eruditus essem, insuperque ductu exercitatissimi chirurgi

IOH.

IOH. DIDERIC. KAREE fundamenta anatomae atque chirurgiae posuit, altioribus in academia disciplinis rite pertractandis idoneus habitus, academiam Iuliam Carolinam, quae Helmstadii floret, adiit. Quo facto nomen apud Prorectorem tunc temporis magnificum ANTONIUM IVLIAM VON DER HARDT professus, ordini studiosorum adscriptus sum. In hac musarum sede virum exper. PHILIPP. CONRADVM. FABRICIVM botanices fundamenta explicantem, plantasque in horto medico demonstrantem audiui. Virum celeberr. IOH. TRAVGOTT ADOLPH praeceptorem habui in Chirurgia, osteologia, physiologia, methodo fascias applicandi, anatomia, sub eiusque fidu manuductione in arte cadavera dissecandi me exercui. GODOFRED. CRISTOPHOR. BEIREIS in physicis & IOH. CRISTOPH. DOMMERICH reliquis in philosophicis praeceptores habui. Inde Goettingam petiti, ibique virum ill. GEORG. GOTTLLOB RICHTERVM totius materiae medicae ambitum tradidem insigni cum fructu audiui. Ill. RUDOLPH. AVGSTIN. VOGEL in physiologia, chirurgia, pharmacia atque chemia tam theoretica quam experimentali fidelissimum praeceptorem habui. Etiam virum Ill. PHILIPP. GEORG. SCHROEDERVM in anatomia, pathologia tam generali quam speciali, fundamentis semiotices, medicina legali, methodo formulas concinnandi, arteque ipsa medendi atque clinicis in exercitiis, praeceptorem habuisse mibi gratulor. Virum quoque celeberr. s. C. HOLLMANNVM physicam praelegentem audiui.

Neque huic solertissimo Candidato defuit ordinis nostri approbatio, siquidem in examine spei nostrae singulari cum laude satisfecit. Cathedram vero d. XIII. Sept. h. a me comite, confundit, cumque sub typis tunc feruens eius dissertatio inauguralis, *de amplitudine generis febrium biliosarum*, ante anniversaria natalis academie solemnia absolu non potuerit, selectiores modo theses medicas dissentientium examini proposuit, easdemque cum applausu defendit, praemissa lectione curatoria, qua desiderata exposuit in *theoria febrium obvia*. Ipsam quoque suam dissertationem de arguento memorato, paucas dein post hebdomades, in publicum emisit.

Mis




* * *

His ergo tribus prae nobilissimis medicinae Candidatis, quae ex medici ordinis decreto triuenda fuere publica laborum & comparatae sibi doctrinac praemia, illa in solemnitate quae recolendae memoriae academiae inaugurate dicata est, die nempe XVII Sept. A. S. CIOCCCLXVI, in templo academico, praemissio sermone de propriae experientiae, ad medicinae liberum exercitium certiori tutiorique cum successu auspicandum, necessitate, eadem ipsa illis rite contul. Quos honores prae nobilissimi viris impertitos, ut sumnum Numen in sui nominis gloriam, reipublicae salutem, propriamque ipsorum felicitatem cedere quam benignissime iubeat, ex animo precor.



1678 PICA





(14.)

MEDICI ORDINIS
IN ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA
H. T. DECANVS
PHIL. GEORGIVS SCHROEDER
ARCHIATER REGIVS ET PROF. MED. ORD.
SOLEMNIA INAVGVRALIA
VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM
MAVRITII F
STEINFV
IOANNIS P
GOI
FRIDERICI
CLAT
QVIBVS DII
MEMORIAE INA
A. S.
IN TEMPLO ACA
C
AD HONORES I

Praemissae sunt vari
historiae nonnulli

GO
EX OFFICINA SCHVLZ

